

perio initium capiamus.

Aretina civitas, intestino bello quassata, vicinum minabatur excidium, dæmonibus cives ad diram seditionem excitantibus. Tunc sanctus pater fratrem Sylvestrum, columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens: vade ante portam civitatis, & in nomine Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris jussa perfecturus; præoccupansque in laudibus faciem Domini, ante portas civitatis cœpit magna voce clamare: in virtute Dei & servi ejus Francisci procul hinc discedite dæmones. Mira res! Rediit ad pacem continuo civitas, & civilitatis in se jura cives omnes cum magna tranquillitate reformarunt. Hac in re Dominum Salvatorem vir sanctus imitatus esse videtur, cujus virtutem & potestatem, quæ in pellendis dæmonibus (a) utebatur, populus demiratus ait: *quidnam est hoc? quenam doctrina hæc nova? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?*

Addam hic aliud non minus mirabile. Quemadmodum tota

viri sancti vita continuum orationis studium erat; ita ejus oculi, continuo lacrimarum fluxu exuberantes, gravem eorundem morbum, atque adeo cæcitatem minabantur. Quumque medicus instanter ab eo peteret, ut parceret lacrimis, ne videndi facultatem amitteret, ille contra: non est, inquit, frater medico, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ vel ad modicum repellenda; quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum, lucis beneficium accepit. Quumque & medici & fratres instarent, ut saltem adhibito ignis cauterio caligantibus oculis mederetur, libenter annuit, quod hoc carni molestum foret. Vocatus itaque venit chirurgus, & instrumentum ferreum igne candens admove re corpori parat: at Christi servus corpus jam horrore concussum confortans, sicut amicum cœpit ignem alloqui: mi frater ignis, quem insigni decore atque splendore ornavit altissimus, esto mihi in hac hora benignus. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, ut te urentem suavi-

(a) Marc. 1. 39.

viter valeam sustinere. Oratione finita contra igne candens ferrum, signum crucis edidit, ac deinceps intrepidus perstitit. Infixum est altius in tenera carne crepitans ferrum, & ab aure usque ad supercilium protractum. Quantum vero irrogaverit ignis ille dolorem, vir sanctus expressit his verbis: laudate, dicens ad fratres, altissimum, quia nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. Quo autem affectu, qua devotione vir sanctus Dominum suum pro hac paterna indulgentia laudaverit, quas illi gratias egerit, quis explicare valeat? Quod si tres illi pueri in fornacem ignis coniecti, nec tamen læsi, ubi hanc tantam Domini erga se fidem & providentiam experti fuere, tanto ejus amore, tantoque laudandi eum ardore incensi fuerunt, ut creaturas omnes, quotquot in cælo, terra, marisque degunt, ad ejus laudes celebrandas convocarent; hoc enim affectu canere cœperunt: (a) *benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula, &c.* quid, quæso, beatissimus pater Franciscus in animo suo versaret, quo igne dilectionis

æstuaret, quum idem beneficium sibi impensum a Domino suo videret?

Fateor quidem, hæc mira fuisse divinæ virtutis opera, sed tamen multis sanctorum non infueta. Referam alia, quæ in servi sui gratiam Dominus mirabili virtute operatus est. Quidam nactus sancti viri chordam, & eam aqua intingens, eandemque aquam ægrotis bibendam porrigens, omnis generis morbos sanabat: tantam Domino virtutem illi aquæ tribuente, quæ servi sui chordam tetigisset. Amplificat Lucas in Actis apostolorum Pauli miracula his verbis: (b) *virtutesque non quaslibet operabatur Deus per manus Pauli: ita ut super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores.* Magnum hoc certe divinæ bonitatis & caritatis erga fidelem servum indicium, qui sic non ipsum modo, sed sudaria etiam, quibus is narium sordes tergebat, hoc tanto honore afficeret. Verum hic ego aliquid video mirabilius. Non enim solam sancti viri chordam Dominus, sed aquam etiam, quæ chordam tetigerat, hac tanta virtute donavit.

(a) Daniel. 3. 57. (b) Actor. 19. 11. 12.

vit. Quanta ergo illa Dei bonitas & caritas, quantum illud sanctos suos honorandi desiderium, quando illa etiam, quæ eorum semicinctia tetigerunt, sic honorare dignatus est?

Adjungam his aliud mirabilius. In quadam Italia civitate pestis quædam grassabatur, quæ animantia cuncta devastabat. Ejus autem civitatis incolæ, his malis afflictæ, ad beatissimi patris, cujus eximiam sanctitatem agnoverant, socios profecti, obnixè ab illis contenderunt, ut eis aquam, qua vir sanctus manus atque pedes abluerat, sibi donarent. Quod quum factum esset, animalia, quæ vi morbi humi prostrata jacebant, hujusmodi aqua conspersa, sana protinus surgebant, & ad pastum læta properabant. Quis in hoc opere non aperte videat, quanto honore summus ille puritatis amator sanctos suos glorificet, quando non modo semicinctiis eorum, sed aquæ etiam, quæ pedum & manuum sordes exceperat, tantam vim conferre dignatus est, ut solo ejus contactu salutem & incolumitatem animantibus præberet?

Referam aliud his etiam meo judicio mirabilius. Accidit ut

sanctus pater, gravi morbo laborans, jumento veheretur: in eo vero oppido, per quod is transierat, mulier quædam in partu ita periclitabatur, ut jam de vita ejus desperaretur. Quum autem jumentum illud eo revocatum fuisset, cives ex fœno, quo illud pascebatur, paullulum assumentes, periclitantique feminæ apponentes, eam protinus ab instanti mortis periculo liberarunt. Quis miraculum huic simile umquam audivit aut legit? quis non hic delicias Domini, & plus quam maternam erga suos indulgentiam & amorem non mireretur, qui tantam vim rebus omnibus, quæ ad sanctum virum quacumque ratione pertinebant, contulit, ut malis immedicabilibus mederentur? Et quidem fœnum illud sancti viri corpus non attigerat: attigerat autem jumentum, quo ille vehebatur, & hoc satis habuit naturæ conditor, ut supra omnes naturæ leges desperatam laboranti salutem redderet. Quis igitur hoc novi generis miraculo ad hanc tantam Domini erga suos benignitatem & suavitatem non attonitus obstupescat? non illum totis visceribus ardeat? non pro illo millies mori concupiscat?

Quis

Quis præterea talibus exemplis fidem & veritatem promissionum Christi non agnoscat, qui relinquentibus omnia multo majora donat? Quanto enim plus est, quod Franciscus a Domino recepit, quam quod propter ipsum reliquit? Reliquit hereditatem paternam, pro qua accepit imperium & potestatem divinam.

§. II.

Sed jam, ex hoc loco digressi, ad alia, non minus equidem mirabilia, sed tamen multo magis suavia, veniamus, quæque non minus vobis divinæ suavitatis atque dulcedinis erga suos viscera pandant. Neque enim divina pietas & indulgentia dæmones atque morbos omnes sancto viro obsequi voluit, sed mutas etiam animantes ejusdem imperio subjecit. Quamdiu primus generis humani parens in fide & obedientia Dei perstitit, cuncta animantes ejus voluntati obtemperabant. Quia igitur eo vir sanctus puritatis atque sanctitatis devenerat, ut ad illum prioris innocentie statum redditus esse quodam modo videretur; voluit etiam, ut simili modo animantia cuncta ad nutum servo suo obtemperarent. Cujus rei non nulla ex-

empla, quæ grata vobis futura spero, referam; idque eisdem fere verbis, quibus ea sanctus Bonaventura, ejusdem vitæ scriptor, memorat: in quo non sermonis nitor, sed fides historiæ requirenda est. Ego vero dum singula hæc refero, nihil amplificabo, nihil sententiis & epiphonematis adjectis attollam, ne, si in his diutius fuero immoratus, sanctissimi patris virtutibus referendis tempus desit.

„ Quodam tempore viro  
„ Dei fuit ovis oblata, quam,  
„ propter innocentie & simplicitatis amorem, quam ovis natura præ se fert, grantanter suscepit. Monebat  
„ pius vir oviculam, ut & laudibus divinis intenderet, & ab omni fratrum offensione caveret. Ovis autem, quasi viri Dei pietatem adverteret, ejus institutionem sollicitè observabat. Nam audiens fratres in choro cantantes, & ipsa ecclesiam ingrediens, vocemque balatus emittens, flectebat genua ante altare Virginis matris agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper quum sacratissimum Christi corpus inter Missarum sollempnia elevaretur, flexis curvabatur poplite,

„ tibus, exemplo suo homines  
„ ad hujus divini sacramenti  
„ reverentiam invitans.

„ Alio quoque tempore am-  
„ bulans cum fratre quodam  
„ per paludes Venetiarum, in-  
„ venit maximam avium mul-  
„ titudinem residentium &  
„ cantantium in virgultis. Qui-  
„ bus visis dixit ad socium:  
„ sorores nostræ aves laudant  
„ creatorem suum, nos itaque  
„ in medium ipsarum euntes,  
„ laudes & horas canonicas  
„ Domino decantemus. Quum-  
„ que in medium ipsarum in-  
„ gressi essent, aves loco mo-  
„ tæ non sunt. Et quia propter  
„ garrutum ipsarum in dicen-  
„ dis horis se mutuo audire  
„ non poterant, conversus ad  
„ eas vir sanctus dixit: soro-  
„ res aves, a cantu cessate, do-  
„ nec laudes Deo debitas per-  
„ solvamus. At illæ continuo  
„ tacuerunt, tamdiu in silen-  
„ tio persistentes, quamdiu di-  
„ vinæ laudes perfolutæ sunt.  
„ Quo officio peracto, a viro  
„ Dei pristinam canendi facul-  
„ tatem receperunt.

„ Apud sanctam Mariam de  
„ Portiuncula juxta cellam vi-  
„ ri Dei super ficum cicada  
„ residens & decantans, quum  
„ servum Domini, qui etiam  
„ in parvis rebus creatoris ma-

„ gnificentiam admirari didi-  
„ cerat, ad divinas laudes can-  
„ tu suo frequentius excita-  
„ ret, ab eodem quadam die  
„ vocata, velut edocta cali-  
„ tus, super ejus manum vola-  
„ vit. Cui quum dixisset: canta,  
„ soror mea cicada, & Domi-  
„ num creatorem tuo jubilo  
„ lauda; sine mora obediens  
„ canere cœpit, nec destitit,  
„ donec jussu patris ad locum  
„ proprium revolavit. Mansit  
„ autem diebus octo ibidem,  
„ singulis diebus veniens, ca-  
„ nens, & recedens, ejusque  
„ jussa perficiens. Tandem vir  
„ Dei ait ad socios: conceda-  
„ mus jam sorori nostræ cica-  
„ dæ recedendi facultatem; sa-  
„ tis enim nos cantu suo læti-  
„ ficans, ad laudes Dei octo  
„ diebus excitavit: statimque  
„ recessit.

„ Accipiter præterea, ibi-  
„ dem nidificans, magno illi se  
„ amicitiaæ foedere copulavit.  
„ Nam semper horam, in qua  
„ vir sanctus ad divina officia  
„ noctu surgere solitus erat,  
„ cantu suo præveniebat.  
„ Quod Dei famulo gratissi-  
„ mum erat, eo quod tanta  
„ sollicitudo, quam circa eum  
„ avis illa gerebat, omnem ab  
„ ipso torporem desidæ excu-  
„ teret. Quum vero servus  
„ Chri-

„ Christi infirmitate plus soli-  
„ to gravaretur, parcebat ac-  
„ cipiter, nec tam antelucana-  
„ nas indicebat vigilias. Si-  
„ quidem velut instructus a  
„ Deo, circa diluculum voce  
„ sua virum sanctum excita-  
„ bat.

„ Neque vero illud silentio  
„ prætereundum est, quod  
„ quum ille vir sanctus in ca-  
„ stro Alviano adstante popu-  
„ lo concionari cœpisset, hi-  
„ rundines, quæ ibidem nidi-  
„ ficabant, garritu suo loquen-  
„ tis vocem intercipientem.  
„ Quibus vir Dei omnibus au-  
„ dientibus silentium indixit  
„ his verbis: sorores meæ hi-  
„ rundines, jam tempus est, ut  
„ loquar & ego, quia vos ha-  
„ ctenus locutæ estis. Audite  
„ ergo verbum Dei, & filete.  
„ Mira res! Illæ protinus tam-  
„ quam rationis compotes su-  
„ bito tacuerunt; nec fuerunt  
„ loco motæ, donec sermo fi-  
„ nitus est. Omnes igitur, qui  
„ hoc viderunt, stupore reple-  
„ ti glorificaverunt Deum. Hu-  
„ jus autem miraculi fama, u-  
„ bique diffusa, multos ad san-  
„ cti viri reverentiam, & fidei  
„ devotionem accendit. In  
„ civitate namque Parisiensi  
„ scholasticus quidam bonæ  
„ indolis, studio diligenter in-

„ tentus, dum importuna gar-  
„ rultate cujusdam infestare-  
„ tur hirundinis, dicere cœpit  
„ ad socios: hæc hirundo una  
„ ex illis est, quæ virum Dei  
„ Franciscum prædicantem  
„ garritu suo impediabant; &  
„ conversus ad hirundinem,  
„ fiducia plenus ait: in nomi-  
„ ne servi Dei Francisci præci-  
„ pio tibi, ut ad me veniens  
„ continuo conticescas. At il-  
„ la, Francisci audito nomi-  
„ ne, quasi viri disciplinis e-  
„ docta, & statim conticuit,  
„ & ipsius manibus tamquam  
„ tutæ custodiæ se commisit.  
„ Stupefactus adolescens ille,  
„ statim eam libertati resti-  
„ tuit, ejusque garrutum am-  
„ plius non audivit.

„ Hæc sane avium obedi-  
„ tia fuit. Quid vero illud,  
„ quod non modo animantia,  
„ sed quæ erant etiam inani-  
„ ma, voluntati servi Dei ob-  
„ temperabant? Quum enim is  
„ Cajetæ prædicaret in litore  
„ maris, turbis præ devotione  
„ ruentibus, ut eum contin-  
„ gerent; horrens Christi ser-  
„ vus tantum populorum ap-  
„ plausum, in unam hærentem  
„ litori naviculam proflavit  
„ solus. Illa vero sine aliquo  
„ motore aut remige, cernen-  
„ tibus & mirantibus cunctis,  
„ se

„ se longius a terra protraxit,  
 „ ibidemque stetit inter flu-  
 „ ctus immobilis; finitaque  
 „ concione, ac dimissa turba,  
 „ ad eundem protinus locum  
 „ sine ullo ductore rediit. Quis  
 „ igitur tam obstinatae mentis  
 „ esset, ut praedicationem Fran-  
 „ cisci contemneret, cuius vir-  
 „ tute fiebat, ut non solum ca-  
 „ rentia ratione disciplinam  
 „ suscipere, verum etiam  
 „ inanimata corpora tamquam  
 „ animata praedicanti servi-  
 „ rent? Hactenus Bonaven-  
 „ tura. „

Quid igitur inter haec omnia,  
 fratres, non novum, non in-  
 solitum, non mirabile, quod-  
 que divinae pietatis & suavita-  
 tis erga suos viscera non de-  
 claret? Omnia certe nova, om-  
 nia mirabilia, omnia divinae  
 bonitatis & caritatis magnitu-  
 dinem referentia. Miror volu-  
 cres caeli sancto viro obsequen-  
 tes: miror cicadam ad divinas  
 laudes convenientem: miror  
 religiosam illam oviculam, quae  
 cantantibus fratribus non mo-  
 do balatu suo concinebat, sed  
 genua etiam ante sacratissimae  
 Virginis altare & sacram eu-  
 charistiam flectebat. Sed mul-  
 to magis adhuc accipitris illius  
 prudentiam miror, qui quo  
 tempore vir sanctus aegrotabat,

non ut antea media nocte, sed  
 in aurora, illum ad divinas lau-  
 des excitabat. Qualis ergo illa  
 Dei pietas, quae sic servi sui  
 labori parcebat, quae somni  
 tempus intercipi hoc tam no-  
 vo miraculo non sinebat? Quid  
 amplius, quae so, pia & offi-  
 ciosa mater filio gravi morbo  
 laboranti factura fuisset?

Vidistis igitur, fratres, om-  
 nium paene creaturarum, &  
 rerum etiam anima carentium,  
 obedientiam, quae obedienti  
 Dei servo ad nutum obtempe-  
 rabant. Jam ergo sola angelo-  
 rum obsequia illi deesse vide-  
 bantur, quae tamen minime de-  
 fuerunt: usque adeo obedi-  
 entiae amator Dominus hanc in  
 servo suo virtutem honorare  
 voluit, ut sequenti exemplo  
 intelligi poterit. Quum quo-  
 dam tempore vir sanctus mul-  
 tis iisdemque gravissimis mor-  
 bis laboraret, optabat ali-  
 qua suavi modulatione jacen-  
 tis spiritus alacritatem excita-  
 re. Quumque id humano mi-  
 nisterio fieri non posset, mira-  
 bilis plane & inaudita res! ad-  
 fuit angelorum obsequium,  
 quod pio sancti viri voto sa-  
 tisfaceret. Nocte enim, vigi-  
 lante ipso, atque divina in sa-  
 cro pectore versante, insonuit  
 cithara quaedam mirabilis har-

mo-

moniae. Nihil oculis cerneba-  
 tur, sed auditus indicio citha-  
 roedi transitus huc & illuc iens  
 & rediens agnoscebatur. Cu-  
 jus dulcisono carmine tanta in  
 viri sancti pectore suavitas ex-  
 citata est, ut in aliud se puta-  
 ret saeculum transisse. Quis  
 hic non exclamet? quis hanc  
 tantam divinae suavitatis & bo-  
 nitatis dulcedinem non attoni-  
 titus obstupescat? quis in hoc  
 opere plenissima suavitatis Dei  
 viscera erga suos non miretur?  
 quis miraculi huius insolita  
 novitate, divinae bonitatis &  
 caritatis magnitudinem non ag-  
 noscat, quae bonos ac fideles  
 servos suos sic reficit, sic laeti-  
 ficat, sic piis eorum votis ob-  
 sequitur? Hac enim ratione  
 Dominus non modo salutem, aut  
 inopiae, aut periculis servo-  
 rum suorum, sed etiam delictis  
 consulit. Jam vero quis sancti  
 viri sensum, quis caritatis ar-  
 dorem, quis cordis jubilum  
 explicare valeat, quum hoc ar-  
 gumento ineffabilem Dei bo-  
 nitatem, caritatem & suavi-  
 tatem erga se intelligeret, qui  
 sic ejus votis ac desiderii an-  
 gelico ministerio satisfecerit?  
 Quid ab eo non expectaret,  
 qui hac etiam in re, quae non  
 tam necessitati, quam volupta-

ti, serviebat, sic providentem  
 cereret?

Quo etiam argumento sancti  
 viri supereminentem excel-  
 lentiam animadvertere licet.  
 Alii enim sancti inter magna  
 Dei munera computabant,  
 quod quidquid ab eo petiis-  
 sent, facile impetrassent. At  
 in hoc sancto viro saepe Domi-  
 nus nequaquam, ut is aliquid  
 ab eo postularet, expectabat,  
 sed votis etiam atque deside-  
 riis ejus citra orationis offi-  
 cium annuebat. Itaque deside-  
 rium illius pro oratione erat,  
 ut fidelis inveniretur, qui di-  
 xit: (a) *desiderium pauperum  
 exaudivit Dominus*: & iterum:  
 (b) *& erit, antequam clament  
 ad me, ait Dominus, exau-  
 diam eos.*

## §. IV.

Haec sunt, fratres, quae su-  
 pra alia omnia magnam mihi  
 tum admirationis materiam,  
 tum divinae bonitatis signifi-  
 cationem praebent. Nam quod  
 ignis vim suae virtutis oblitus  
 fuerit, ne vir sanctus acerbe  
 cruciaretur; salutem & incolumi-  
 tati servi sui Dominus clem-  
 enti pietate providebat. At  
 in his, quae modo retuli, mi-  
 raculis, non salutem, sed jucun-  
 ditati; non incolumitati, sed  
 sua-

(a) *Psalm. 9. 38.* (b) *Isai. 65. 24.*

suavitati; non necessitati, sed delitiis provisum est: ut vir sanctus, tot inspectis miraculis, mirabilem erga se Domini indulgentiam atque suavitatem contemplans, totus in ejus amore exardesceret. Hoc autem quale sit, proposita hac similitudine explicare contendam. Quemadmodum sponsus peregre profectus, ad sponsam, quam habet carissimam, varia dona & xenia atque monilia mittit, quo & suum erga illam amorem, & illius erga se dilectionem incendat: ita summus ille innocentiae & puritatis amator, qui hanc sancti viri animam, quam is virtutum omnium ornamentis decoraverat, sibi in dilectissimam sponsam elegerat, non quidem aureis monilibus, sed clarissimis miraculis, quae in illius gratiam, & spiritualem jucunditatem edebat, & suas in illam caritatis delicias ostendebat, & illius erga se dilectionem vehementissime inflammabat. Quam rem vel hoc uno exemplo demonstrabo. Quum viro sancto avis quaedam fluviatilis oblata esset, isque alacriter susceptam patris manibus ad volandum invitaret, eaque ab ejus sinu discedere noller; hac paterna Dei erga se indulgentiam

in tantae bonitatis amorem raptus, post longae horae spatium, velut aliunde rediens, dulciter iterum aviculae mandavit, ut Deum laudatura recederet. Quod illa protinus fecit. Quo igitur admirationis & amoris igne sancti viri anima in hoc opere affecta fuit, eodem utique in similibus miraculis incensam fuisse certissimum est. Qualis igitur ea caritas erat, quae, tot miraculis in gratiam sancti viri editis, tam magna passim incrementa capiebat? Nos sola externa miracula cernimus & narramus: ceterum, a quanta Dei erga servum suum caritate proficiscerentur, quantumque rursus caritatis incendium in anima viri sancti excitarent, neque videmus, neque ullis verbis explicare possumus.

Recensui, fratres, mirabiles hujus sancti viri virtutes, in quibus omnibus vere mirabilis existit. Sed ego jam mirari desino, quidquid esse mirabile dixi, quum primam tot mirabilium causam considero. Quis enim, quaeso, nostrum, si tot circa se divina miracula, tot divinae dilectionis argumenta, tot amoris incitamenta, tot divina beneficia, tot immensae illius bonitatis exem-

empla, ac postremo hanc tantam avium, pecorum, daemonum, ac denique omnium fere creaturarum obedientiam cerneret, non totus praer amoris divini magnitudine liquefere? non attonitus tantae bonitatis magnitudinem obstupesceret? non totus praer latitiae magnitudine exsiliret? non millies in ecclasiis raperetur? Quam rem ipsius beatissimi patris sententia confirmare licet; qui quemvis, etiam latronem, eadem, quae ipsa faciebat, facturum praedicabat, si eadem gratia, eisdemque divinis beneficiis atque favoribus a Domino affectus fuisset. Itaque non ego jam Franciscum, sed Francisci Dominum, in sanctis suis mirabilem praedico. Miror immensam hujus Domini bonitatem, miror caritatem, miror benignitatem, miror ineffabilem erga suos dulcedinem & suavitatem, miror plus quam maternam erga suos indulgentiam; & agnosco, verum esse, quod idem per Salomonem ait, (a) delicias suas esse cum filiis hominum. Recte ergo caelestis ille citharocedus mirabilem Deum esse ait in sanctis suis. Non tam igitur eos esse mirabiles, quam ipsum in eis esse mirabilem,

Tom. III.

praedicat: qui tanta dignatione & pietate & suam erga illos dilectionem ostendit, & eorum erga se excitat & incendit.

Nondum tamen hic omnium divinorum beneficiorum atque mirabilium finis. Superest aliud maxime mirabile, nempe, ordinis institutio, qui a sancto viro initium duxit. Nostis enim, quantum dignitatis & gloriae beatissimi hujus patris ordo in ecclesia obtineat: in quo tot insignes viri floruerunt, tot episcopi, tot cardinales & pontifices maximi, tot clarissimi doctores & concionatores, & quod est multo majus, tot invicti martyres, tot sanctissimi confessores, tot purissimae virgines. Nec vobis etiam mirae ejusdem ordinis per universum terrarum orbem dilatatio incognita est, quae monachorum, monasteriorum & provinciarum numero & multitudine, longissimo intervallo omnes alios ordines superat. Si igitur hunc ordinem D. Augustinus, aut Hieronymus, aut magnus ille Basilius, qui non modo sanctitatis opinione, sed clarissima etiam omnium disciplinarum doctrina, celeberrimi habebantur, instituere voluissent, non perinde mirum esset; sed

M

quod

(a) Prov. 8. 31.

quod Petri Bernardonis filius, sine eruditione, sine litteris, qui totam adolescentiam in mercaturâ negotiis, modo has, modo illas nundinas frequentans, exercuerat, quique ad extremum ad tantam se inopiam redegerat, ut vilissima tunica indutus ostiatim vulgarium mendicorum more frustra panis peteret, quibus vitam sustentaret, hanc tantam rem animo agitarit, ut novi ac celeberrimi ordinis institutor & auctor, novusque patriarcha existeret; & non Augustini, aut Basilii, aut Benedicti regulam, sub qua militaret, elegerit, sed ipse per se novam vivendi regulam condiderit, & a pontifice maximo ejus approbationem pauperulus & seminudus impetravit; resque adeo feliciter cesserit, ut brevissimo temporis spatio ejus ordo sanctitatis opinione & fratrum numero sic dilatatus fuerit, ut vivente etiam ipso quinque millia fratrum in primis ejusdem ordinis comitiis convenerint; quis non miretur? quis non obstupescat? quis non digitum Dei hic intercessisse cognoscat? quis non mirabilem Deum in sanctis suis clamet? Neque enim Franciscum eo tempore sic aestimare

debetis, ut modo facitis, quando ejus gloria per universum terrarum orbem celebratur, quando tot immortalis Deo ejus nomine templa consecrata sunt, totque altaria ejus imagine sacrisque stigmatibus fulgent: sed qualem judicaretis, quum illam abjectissimi atque vilissimi hominis speciem præ se ferebat, quique, ætatem omnem in taberna patris positus, mercaturæ operam dederat. Si quis igitur eo tempore hunc ejus animum atque propositum novi in ecclesia ordinis instituendi intellexisset, an non is pleno cachinno hoc ejus propositum excepisset? non irrisset, & stultitiæ atque amentitiæ illum condemnasset? Quis igitur hic Deum in sanctis suis mirabilem non agnoscat, quos ex infima mundi fæce ad tantam dignitatis gloriam in ecclesia sua extulit, (a) *suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat?*

Quis igitur, fratres, ut finem principio jungamus, adeo obtusi cordis erit, qui tot exemplis & argumentis ineffabilem Dei nostri bonitatem clara luce non videat, quæ tot modis vi-

ROS

(a) *Psalm. 112. 7. 8.*

ros bonos honorat, tot afficit beneficiis, tot miraculis illustrat, tot delitiis recreat, tantam erga illos indulgentiam, & amoris plus quam materni, ut ita dixerim, teneritudinem ostendit? Quis igitur est, qui dum hæc ipsa considerat, in tantæ bonitatis & caritatis amorem non rapiatur? quomodo non totus amoris erga illum igne incenditur? quomodo se ab hujus flagrantissimi Solis calore abscondit? quid amat, qui hanc tantam bonitatem non amat? cujus rei amore capitur, qui hujus tantæ pulchritudinis amore non capitur? Quis non se jam felicem arbitretur, cui in promptu sit ad talis Domini amicitiam posse venire? quis servire illi recuset, qui tam magnificis præmiis non solum in futura, sed in præsentis etiam vita obsequia sibi exhibita persolvit? quis non in ratione dati & accepti cum eo velit agere, a quo tam

magna lucra reportare valeat? quis non in ea terra sementem facere velit, quæ tam amplos ex se fundit proventus? Si igitur, ut in initio diximus, nihil nos magis ad amorem Dei nostri, quam immensæ bonitatis ejus pulchritudo, in oculis & adspectu proposita, excitare debet; hanc autem tot clarissimis argumentis & indicibus declaratam cernimus: quid superest, nisi ut tantorum mirabilium & gratiarum auctorem totis visceribus diligamus, totis precordiis illi omnibus in rebus obsequi studeamus, illum semper ante oculos habeamus, illum dies noctesque cogitemus, illius nos totos obsequio mancipemus, in illum semper intenti & suspensi simus, pro illo millies, si ita opus fuerit, mori cupiamus: ut cujus modo bonitatem per magnifica ejus opera contemplamur in via, eandem tandem revelata facie perpetuo videre mereamur in patria.

M 2

IN